ANNEXE 6

Codex Traguriensis, Paris 7989, 15e siècle, Bibliothèque Nationale de France, fol. 220-221. Disponible sur https://gallica.bnf.fr/ark:/12148/btv1b520004584/f11.item (consulté le 07 mai 2022).



Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France. Département des Manuscrits. Latin 7989

lupus factus est ululare cepit et in silvas fugit. ego primitus nesciebam ubi essem. dein-
de accessi ut vestimenta eius tollerem. illa autem lapidea facta sunt. qui mori timore ni-
si ego. gladium tamen strinxi et matauitatau umbras cecidi, donec ad villam amice mee
pervenirem. In larvam intravi. pene animam ebullivi. sudor mihi per bifurcum volabat. ocu-
li mortui. vix umquam refectus sum. Melissa mea mirari cepit quod tam sero ambularem.
et si ante inquit venisses, saltem nobis adiutasses. lupus enim villam intravit. et omnia
pecora tamquam lanius sanguinem illis misit. nec tamen derisit etiam si fugit. servus enim
noster lancea collum eius traiecit. hec ut audivi, operire oculos amplius non potui.
sed luce clara hac nostri domum fugi. tamquam copo compilatus. et postquam veni in illum
locum in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem. ut vero
domum veni iacebat miles meus in lecto tamquam bovis. et collum illius medicus cura-
bat. intellexi illum versipellem esse. nec postea cum illo panem gustare potui. non si
me occidisses. viderint qui hoc de alibi exopinissent. ego si mentior genios vestros
iratos habeam.

Attonitis admiratione universis, salvo inquit tuo sermone trimalchio si qua
fides est ut mihi pili inhorruerunt, quia scio niceronem nihil nugarum nar-
rare. immo certus est et minime linguosus. nam et ipse vobis rem horribilem
narrabo. Asinus in tegulis. cum adhuc capillatus essem, nam a puero vitam chiam gessi,
ipsum nostri delicatus decessit mehercules margaritum caccitus et omnium
numerum. cum ergo illum mater misella plangeret, et nos tum plures in tristim-
onio essemus, subito strige ceperunt. putares canem leporem persequi. habebamus
tunc hominem cappadocem longum valde audaculum. et qui valebat, poterat bovem
iratum tollere. hic audacter stricto gladio extra ostium percucurrit involuta
manu sinistra curiose, et mulierem tamquam hoc loco (salvum sit quod tango) mediam
traiecit. audimus gemitum. et plane non mentiar) ipsas non vidimus. baro autem
noster intro versus se proiecit in lectum. et corpus totum lividum habebat quasi fla-
gellis cesus. quia scilicet illum tetigerat mala manus. nos cluso ostio redimus
iterum ad officium. sed dum mater amplexaret corpus filii sui, tangit et videt ma-
nuciolum de stramentis factum. non cor habebat. non intestina. non quicquam scilicet.
iam strige puerum involaverant. et supposuerant stramenticium vavatonem. rogo vos
oportet credatis. sunt mulieres plus scie. sunt nocturne. et quod sursum est de-
orsum faciunt. ceterum baro ille longus post hoc factum numquam coloris sui fuit. ym-
o post paucos dies freneticus periit. Miramur nos et pariter credimus. oscula-
tique mensam rogamus nocturnas ut suis se teneant, dum redimus a cena. et sa- LXIV.
ne iam lucerne mihi plures videbantur ardere. totumque triclinium esse mutatum. cum
trimalchio tibi dico inquit plocame, nihil narras. nihil nos delectaris. et solebas
suavis esse. canturire belle deverbia, adicere melicam. heu heu abistis dulcis
carice. Jam inquit ille quadrige mee decucurrerunt ex quo podagricus factus
sum. alioquin cum essem adulescentulus cantando pene tisicus factus sum. quid salta-
re. quid deverbia. quid tonstrinum. quando parem habui nisi unum apelletem. oppositaque

LXIII.

bouis nauium alio (?)

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France. Département des Manuscrits. Latin 7989